SCRIPTVM VERVM, AC BREVE,
causas continens, cur Inclyta Natio Germanica Bononia secesserit, ex quibus prudenti Iudici facilè patebit, quàm iustè, ac humaniter, Petrus Donatus Cæsius Episcopus Narniensis,

EIVS VRBIS PRAESVL, CVM QVIbusdam ex Germanis egerit: ædita totius Nationis, quæ tunc Bononiæ fuit consensu, sicut ex nominibus propria manu ipsi originali à quolibet eius Collegii Germanici subscriptis, satis constat.



M. D. LXII.

ANNI iam ſunt plus minus octingenti, quibus inclyta natio noſtra Germanica in hac celebri Italiæ vrbe Bononia floruit, & optimarum artium ſtudijs magna cum laude ad hæc vſque tempora incubuit, Eius rei hiſtoriæ nobis fidem faciunt, quæ Carolum Magnum Longobardis profligatis huius Academiæ Bononienſis à Theodoſio minore, vt vulgo creditur, fundatæ: inſtauratorem fuiſſe teſtantur. Atque tum noſtram nationem hic optimis legibus conſtitutam fuiſſe: & ratio probabilis, & annales noſtri liquido confirmant. Tanto ergo tempore nationi noſtræ Germanicæ non modo ab incolis & ciuibus huius vrbis: verumetiam ſummis Pontificibus & Romanorum Imperatoribus qui eam egregiis ac ampliſſimis præ cæteris ornarunt priuilegiis: magnus ſemper honos eſt habitus. Hoc cum ita ſit et nemo inficias ire auſit: quo animo nunc ſimus, quo'ue dolore afficiamur: quod eam vrbem, quæ ſemper Germanis omnibus domicilium præbuit, quæ ſummo eos fauore & humanitate proſequuta eſt quæ item nos, noſtroſque maiores optimis ac humanæ ſocietati ſalutaribus artibus erudiit: quibus patriæ honori ac emolumento extiterè, & deinceps extituros credimus hanc inquam Vrbem quod nunc relinquere cogamur: quam id nobis acerbum & graue ſit prudens quisque & æquus rerum æſtimator facilè iudicare poterit. Nonenim ex iuuenili quodam impetu, rerum nouarum ſtudio, aut iracundiæ calore: quod hominum eſſet imperito

rū & parum de se cogitantium: sed iustissimis de causis, acerbissima affecti iniuria, hanc ab vrbe Bononia secessionem suscepimus: cuius facti nostri non tantum nobiliss. & summa virtute præditos vrbis huius ciues: verumetiam alios in Italia & Germania communi patria nostra, cuiuscunque ordinis aut status fuerint homines, si rem ipsam cognouerint, habituros nos Iudices æquissimos certo confidimus. Ideoque diligenti inter nos habita deliberatione: cum nulla alia ratione, spretis iam ac violatis priuilegiis nostris, ipsa etiam denegata iustitia, cuius nos cultores in Symbolo nationis semper professi fuimus: acceptam iniuriam vindicare nos posse videremus: nisi hac ipsa quam instituimus migratione nostra: visum fuit omnibus nobis ac singulis, causas eius nostri consilii publicò scriptò cunctis mortalibus notas facere: vt sic nostra innocentia, & summa Præsulis huius vrbis in dicendo iure acerbitas, penitus innotescat. Quo autem melius id fiat, factum ipsum prout in rei veritate se habet, & multis ex Bononiensibus non est incognitum, simpliciter absque vllo Rhetorico fuco, quem causæ nostræ bonitas minime desiderat, prius narrandum duximus. Inuitarat nos ad conuiuium Vir nobilissimus, nationis nostrę Procurator: nam Romam altero die ire in animo habuit. Ibi cum per horas aliquot fuissemus: duo ex nostris, quorum alter Procuratoris fuit collega: (duos enim natio nostra Procuratores magistratus loco habere solet.) alter itidem nobilis, & non multum antè eodem officio functus, e r

na finita, iusto tempore cũ ministris suis domum ituri, & iam ædibus vix egressi, in Ciuitatis custodes incidunt: iique irritati iam erant facto cuiusdam nobilis Germani, qui prouocatus multis conuiciis hora ante, Italum infimæ sortis hominem leuiter vulnerarat, nobis omnibus huius rei ignaris. Vulneratus de iniuria (vt is opinabatur) apud Vigiles fuerat conquestus, qui pleni vindictæ, pleni furoris ac iracundiæ, in nobiles duos domo iam egressos strictis ensibus, hastis, bombardis, aliisque armorum generibus impetum faciunt. Primum arma à Procuratore nationis importunè exigunt, mox ambos, vt captiuos comprehendunt. Illi se tuebantur priuilegiis à summis Pontificibus, & inuictissimo Carolo V. Romanorum quondam Imperatore nostræ nationis Procuratoribus indultis, quibus potestatem sibi gestandi arma tam durante quam finito ipsorum officio, non de die tantũ verumetiam noctis tempore concessam contendebant. At frustra id fuit, quin eos cum in carcerem ire relu ctarentur, (quod sibi ignominiosum ducebant, præsertim cum nihil deliquerant) indignis tractarunt modis, ipsum etiam procuratorem traditis iam armis non absque periculo vulnerantes. Quid fit? clamorem ac tumultum alii qui in ædibus ex conuiuis relicti erant, exaudientes, cum armis mox domo prosiluerunt, aliud nihil cogitantes, quam sociis & conterraneis à latronibus quibusdam aut Sicariis vim fieri. Aliter enim iudicare haud poterant, eò quod ante paucos menses ex Germania huc venerant ignari

linguæ

linguæ, ignari morum huius gentis. Fuit tum inter eos iuuenis nobilis, ingenio & manu promptus (qui alter ex duobus fuit miserabili modo qui supplicio vt post dicetur affecti sunt) hic indignum persona ac maiorum suorum virtute iudicans: & Procuratorem nationis nostræ: & amicum intimum ac conterraneum in summis angustiis & vitæ discrimine constitutum deserere: virili ac magno animo furiosos vigiles est aggressus lanceam vni ex iis manibus extorsit quosdam in fugam coniecit, & Procuratorem eiusque socium è manibus illornm eripuit. At cum isti bombardis rem tentare inciperent & duabus iam vicibus magno cum nostrorum periculo globos eiaculati essent: tum non integrum nostris est visum diutius illorum nocendi sustinere rabiem: & illico ad ædes se tanquam vltimum refugium iusta cum animi indignatione recipiunt. Sicq; tunc finis eius fuit tumultus. Nostri post id dormitum se conferunt, sequenti die consiliū ex re ipsa capiunt, vt nempe de vi & iniuria sibi ab iniustissimis hominibus illata apud urbis huius præsulē Petrum Donatum Cæsium Episcopum Narniensem querimoniam facerent. Verum vigilum præfectus, quem Bariselum vocant, tempore eos præuenit: domum in qua nostri erant cum armata multitudine prima luce est ingressus: seuere mandans Præsulem accederent, sententiam audituri ob præteriti diei excitatum tumultum. in quo non grauatim obedientiam ei prestiterunt freti conscientia recti, quod nihil se pœna dignum commisisse arbitrarentur. Palatium Præ-

sulis

sulis vbi sunt ingressi è vestigio in carcerem vt itent præter omnem eorum opinionem est eis prę ceptum. Sed & famuli cum dominis captiui abducti fuerant: ex quibus vnus torturæ est subiectus, quæstio de illo habita, quid vero confessus fuerit nemini adhuc ex nostris est cognitum. Sic itaque Iuuenes nobiles decem numero per horam in carcere cum fuerant detenti, sententiam à Præsule tulerunt: profectò omnis inhumanitatis, omnis seuitiæ ac acerbitatis plenam, vt duobus exceptis Barone & nationis altero Procuratore, quod Cardinalibus hos sanguine deuinctos acceperat: ignominioso supplicij genere quod vulgo Chordę tractum vocat, afficerentur: idque causa inaudita nullo iuditii processu seruato: quin etiam magis quod dolendum erat, inter hos quidam eodem iuditio quod sunt condemnati, qui dum quieti se tradiderant huic tumultui ne quidem interfuerant. Tandem amplissimi huius urbis Senactus, Magnifici quoque Rectoris, ac aliorum Clarissimorum Virorum intercessione factum, sex ex iis pœna vt remitteretur (septimus enim qui Procurator nationis, iam manibus illorum euaserat, nec cum reliquis in carcerem fuerat abductus) Sed pro reliquis duobus, inter quos & ille quem antè forti animo urbis custodibus se opposuisse diximus: alter vero ne verbo quidem quenquam offenderat: nulla attrocis sententiæ mitigatio vllo pacto impetrari potuit. quantumuis magna pro iis nihil prorsus meritis pecuniæ fuerit summa oblata: nec valuerunt tunc nomine eorum preces, nec paren-

tum

tum nobilium commendatio, nec Illustrissimorum Principum nostræ patriæ mentio; verum nulla interposita mora, summa cum festinatione, neutro ad dicendam causam suam admisso, vt omnis defendendi se præscinderetur facultas: ad supplicium inusitatum, scolasticis præsertim, quorum nemo post hominum memoriam simile quid in hac ciuitate fuit expertus, in loco publicò, & conspectu magnæ partis Ciuitatis, exutis vestibus, ingenti omnium spectatorum commiseratione, summo duorum Iuuenum & nationis inclytæ probro ac ignominia iniustè ac crudeliter sunt abrepti. Causa quæ sit facilè apparet, nec dubitamus, quin omnes, qui factum hoc prout exposuimus intellexerint, statim iudicaturi sint, quod attinet Iuuenes istos ac natione̅ nostram iura omnia diuina ac humana, tam legibus Ciuilibus comprehensa, quam communi hominum co̅suetudine introducta, inhumaniter admodum, atque superbè (ne quid grauius dicamus) contempta ac violata esse, id quod facilè obtinere & cuiuis etiam rigidissimo iudici perspicuum facere possumus. Nam si quis facti de quo agimus, causam seu occasionem co̅sideraucrit, & processum iudicii ad executionem vsque sententiæ cu̅ nobis seruatum examinauerit, hic si mente fuerit sana præditus, & iustitia̅ amauerit, cito animaduertet, nobis etiam nulla de hac re amplius verba facientibus, & causam nos habere iustissimam, & summa iniuria esse affectos. Vulnerauit nobilis iste cuius antè facta est mentio, hominem personatum incedentem, ipsum nulla

data

data causa supra modum conuiciantem, qui id apud vigiles fuerat conquestus: Aliquid hoc esse fatemur, & demus magnum sit, eò quod rectius fecisset, si hominem impurum ac Sycophantam neglexisset, de quo nunc nõ disputamus, nec eius facti patrocinium suscipimus, hoc tantum in hac causa quærimus, iustum ne sit, rationi, legibus diuinis atque humanis consentaneum, vt quod alius deliquit, id luant isti, qui sint innocentissimi, qui nihil deliquerint, neminem nec re nec verbis lœserint? Si hoc iustum est, profectò quid ius sit ignorare nos, & malè à Clarissimis huius Academiæ iureconsultis præceptoribus nostris (quod impium est dictu ac inhumanum) nos institutos apertè nobis fatendum esset: Sic enim ab iis accepimus & legibus scriptum meminimus: pœnam ibi esse vbi noxia est, & peccata suos tenere authores debere, ne vlterius progrediatur metus quã reperiatur delictum. Hoc cum ita sit, quam quæsumus causam prætendent iniustissimi vigiles, quod nostros sunt Procuratores aggressi? quod confectos vulneribus in carcerem abducere voluerunt? quod contra priuilegia à summis Pontificibus ac Imperatoribus concessa, armis eos ac vestibus spoliarunt? istud equidem facinus rectè si urbis Præsul atque prudenter agere voluisset, grauius multo ęstimare debuisset, quam hoc, tantopere verbis quod exagerat: Vrbis nempe custodes etiam iniustissime agentes neutiquã offendendos esse: Si non alias minus esse delictum iudicauerit contra summorum Pontificum & Imperatorum priuilegia, con

 tra

tra omne ius fasq; in homines innocentes feuire, quam hominum flagitioforum petulantiæ ac libidini fe opponere. Domo nobiles duo eggreffi ilico ad imperium viliffimorum hominum arma tradere funt coacti, nec id fatis, fænitum nihilominus armis, Bombardis, pugnis, in eofdem Germanos noftros nequicquã ad priuilegia fua prouocantes. An non iuftius fuiffet arma ijs relinquere, de facto quod ifti prætendunt ab altero germano commiffo, amice cum illis agere, cum fcirent fe Ciuitatis cuftodes non latrones aut ficarios à magiftratu effe ordinatos? At hic nobis obiiciat alquis, genus id hominũ nõ omnia ita confiderate quod prudentiores folent agere poffe, multum propter imperitiam iis effe condonandum? fit hoc ita fanè (quanuis hæc quidem lenitas ad multas nequitias feneftram patefaceret) at rurfus decebat ne Præfulem id eo melius confiderare? qui iudicis officio fungitur, difcrimen nouit inter id quod iuftum & id quod iniquum, vnde & iufticiæ adminiftrator dicitur, huic certè conueniebat antequam de nobis iniquiffimam indicta caufa ferret fententiam, prius fupplicium de fuis iftis lictoribus fumere, qui contra æquitatem naturalem contra priuilegia Procuratoribus noftris data, vim iniuftè nobis intulerant, aut fi vfque adeo benignus ac lenis in fuos effet, omnia vt ipfis impunè permitteret: in nobis tamen Germanis & hominibus exteris, feueritatem fuam oftendere non debuiffet, qui alias infigni antè eramus iniuria affecti.

Sic ergo firmiter nunc perfuademus nobis ne minem

minem esse, veritatem qui amet, mendatia ac calumnias qui detestetur, vt non existimet, & nullã occasionem vigilibus datã tanta vt rabie nos aggrederẽtur, & Priuilegia nostris Procuratoribus concessa iniuste à Præside ac lictoribus eius violata esse, quo quidem concesso, quod certè concedere cõscientia eorũ (si modo aliquis conscientiæ in iis est stimulus) conuincente illos, omninò cogentur, sequetur & necessario alterum, summam scilicet nobis iniuriam factam: idque fuit quod primo probare loco, nostri fuit instituti. De facti itaque causa & prima nobis iniuria illata quanta cum breuitate fieri potuit, hactenus diximus, reliquum est vt agamus de aliis, qui occasione quadam defendendi suos huic tumultui interuenerunt.

Custodes Ciuitatis supra commemoratum est dum ante fores cum duobus domum ire volentibus tumultuarentur, clamor & armorum strepitus intus ab aliis est exauditus, qui commouit eosdem laborantibus ad subueniendum, vt ex ædibus errumperent; quorum in numero duo fuerunt iuuenes ad iniustum qui supplicium postea sunt rapti, alter quia valetudine impediebatur, anxius tragœdiæ erat spectator, alter fortiter cum lictoribus dimicando Procuratorem & amicum periculo liberauit, quod vtrum laude ac venia, vtrum vero reprehensione & supplicio dignum sit, non difficilis esse diiudicationis existimamus. Nam siue honestatem quis spectet, siue famam ac existimationem quam Vir bonus nunquam neglexit consideret, siue deniq; vtilitatem

eorum, qui in summo vitæ periculo uersabantur animo expendat, quid honestius? quid utilius? quid laudabilius? quàm hominem amicum, conterraneum, nationis suę Procuratorem, quem magistratus obseruat loco, & hunc ipsum cum nefariis homnibus magno cum uitæ discrimine conflictantem defendere, huic opem ferre, ex manibus hostium eripere, hoc per Deum immortalem non pœna dignum, sed summa cum virtute & laude coniunctum dicimus, quod & ratio dictitat naturalis, omnium hominum rectè sentientium mentibus insita, & omnium benè constitutarum Ciuitatum statuta ac consuetudines liquidò comprobāt. Verissimum enim est, quod grauiter Cicero in libris suis de officijs disserit, iniustitiæ inquiens duo sunt genera, alterum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab ijs quibus infertur, si possint, non iniuriam propulsant, qui non defendit nec obsistit si potest iniuriæ, tam est in vitio quam si parentes aut amicos aut Patriam deserat, cuius quidem sen tentiæ si aliqua veritas, vt omnium prudentū cal culo maxima est, certè in nostra proposita causa, eam imprimis locum habere nobis persuademus, qui in peregrinis à natali solo lōgè remotis locis degimus, omnique nostrorum subsidio sumus destituti, à quibus magis hoc officium requiritur, inuicem vt nos, si vsus veniat, defendamus. non enim tantum esse dedecùs existimamus apud suos amicum indefensum relinquere, licet & id maximum sit, quam apud exteros, quos non tantopere aduenarum, quàm suorum hominum affi-

cit

cit calamitas. neque vero Iuuenis egregius aliter agere honestè aut potuit aut debuit, quam ut corpus proprium amici causa, quem nemiuem lœsisse in minimo sciebat, furori ac insaniæ lictorũ obiiceret, nisi infamię macula uitã q̃ integrã ac ab omni labe illibatã à prima adolescẽtia sua seruare studuit, nũc turpiter & generis & nominis sui oblitus aspergere uoluisset. Itaq; si amicum defendere iustum ac laudabile est, quis uirtutis amans hunc iuuenem incusabit, quod non amicum tantum, sed amicum & conterraneum, ac quod laudabilius est, nationis nostræ Procuratorem magistratum suum in summis periculis constitutum deserere noluerit? ob quam egregiam animi fortitudinem ab omnibus Viris bonis merito laudibus est efferẽdus. Verũenimuero facilè nunc credimus non defuturos nobis maleuolos aliquot eos potissimum, quos nationi nostræ parum propitios iudicamus, qui obijcient nobis nefas esse & capitale delictum Prætoris cohortem offendere, eamque ob causam rectius hunc nostrum fecisse, si permisisset vigilibus cum duobus captiuis omnia prolibitu eorum, quæ vellent facere, si quid malè egissent Præsulis post esse implorandum officium. Egregia sanè hæc esset libertas, quæ improbos in malitia armaret sua, & hominibus profligatæ vitæ ac fidei, quales hic sunt ijdem vigiles, ab omnibus qui pro infamibus habentur, facultatem, dum nemo resistere auderet, quiduis agendi permitteret, & calamitate accepta iudicis, ne quicquam iuberet, demum implorare iusticiam. Nam si locum unquam habuit

il-

illud, quod ferè nunc in prouerbium abijt, inter arma scilicet silere leges & quod non iubeant se expectari, cum ei qui expectare velit, ante iniusta sit pœna luenda, quam iusta repetenda: certè illo tempore quo in lictorum manus nostri inciderunt quam maximè id verum esse credimus, vbi ea fuit nostris imposita necessitas, vt aut fortiter resistendum vigilibus, aut contumelia visq; ingens à pessimus hominibus fuerit perferenda: hoc enim si non fuisset nunquam vsque adeo feroces videri vellemus, factum huius Iuuenis ut purgare studeremus: qui alias id scimus, & Reipublicæ vtile agnoscimus, isti generi hominum cui Ciuitatis custodia committitur, non absque causa uel temere esse resistendum: Verum id ita tamen fatemur, rectè si agant, publicam si tranquillitatem tueantur, nulli si vim & iniuriam inferant: eos quidem si limites excesserint, & innocentes, per Ciuitatem tranquille euntes, neminem lædentes, (quod uerè de duobus domo egressis, Deo ac conscientia nostra attestante intrepide affirmare possumus) armis inuaserint, manus iniecerint, vulnerarint, captiuus abduxerint: hoc si fecerint, tunc iis non vt urbis custodibus, Ciuium ac corporum nostrorum protectoribus: sed vt truculentis hostibus, insidiatoribus uitæ bonorum & uiarum publicarum obsessoribus, etiam iudicis non requisito officio, quod propter moram alteri esset damnosum, iis resisti, & uim illatam à se repelli posse iure optimo asserimus. quæ enim ratio huic nostræ aduersa uale re potest? quam ea lege custodes ordinatos, homines

mines

mines ut tueantur, nulli iniuriam faciant: huic muneri si quid contrarium committant, fieri non potest custodes vt amplius nominentur. Quid? quod iura nostra ad quæ omnes hominum actiones tanquam certissimam Iustitiæ normam sunt referendæ, concedant vnicuique tam sua quam aliorum causa aduersus quemlibet Iudicem, etiā Regem, de facto extraiudicialiter (ut iurisconsulti & Doctores nostri loquuntur) iniustè procedentem defensionem suscipere, quinetiam iniustè condemnatum, aut in uincula coniectum impunè ex carcere & manibus familiæ (uerba ut Doctorum retineam) eximi posse: idque imprimis amicis & consanguineis eius, qui uim iniustè patitur, aut captiuus detinetur facere est permissum. hocq; eo magis Scholaribus indultum, ita ut si uni ex iis qui simul habitant iniuria facta fuerit, omnibus eadem facta censeatur, & in eorum omnium contemptum ut quilibet ex iis iniuriarum actione agere possit: ut hoc multis euidentissimis rationibus & legibus, diuinis & humanis iurisperiti demonstrant, quorū omniū allegare sentētias, quia Doctis notissimæ sunt, scripti huius forma haud patitur. Atque hæc quidem firmissimis quæ legibus & rationibus nituntur, iustissimam præberent nobilibus Germanis nostris excusationem, etiamsi vigiles eos esse tumultus tempore sciuissent. Sed his quæ adduximus legum beneficiis, parum adhuc aut nihil quidem nostri indigent: Siquidem cum uigilibus iis negotium esse penitus ignorarunt: id quod verisimile & rationi conueniēs videtur: cum latronum

ac

ac hostium non vigilum more illos cum duobus ex nostris agere animaduerteret: cui & illud accedit quod antè diximus: linguæ scilicet Italicæ & consuetudinis huius terræ quod fuerunt imperiti, quæ quidem ignorantia illorum extra omnem eos culpam constituit: quippe quod & hoc iure nostro obtineat, vt familiæ Prætoris etiam iniustè exequenti de facto (vt loquuntur) resisti possit, si quando ea per Signa (qualia hic non vigilum sed latronum fuère) non cognoscatur. Satis ergo & alterum, nullam nempe culpam in iis, qui vigilibus ad defendendum Procuratorem se opposuerunt, residere, iam abunde demonstratum iudicamus. Nunc de iudicii processu à Præsule urbis nobiscum seruato quædam quasi tertio defensionis nostræ loco dicenda forent: quæ & multum causæ nostræ roboris adderent: si nō vereremur, ne etiam dum necessaria tantum attingimus, multa alia silentio præterimus, nihilominus videamur à quibusdam id nos agere, id operam dare, causam vt nostram argumentis quibusque & rationibus hinc inde conquisitis meliorem reddamus: non hoc nostri est consilii, sæpius vt iam antè dictum, diffidere enim de causæ nostræ bonitate non possumus, quæ ex solo facto, omni verborum ornatu, (de quo nihil hic sumus soliciti) neglecto, à quouis ratione prædito percipi atque diiudicari potest. Et si quæ præterea à nobis argumenta in medium adferuntur, eam habent rationem, quod singulæ circumstantiæ quæ ad causæ plurimum faciunt cognitionē, nudæ narrationi includi nequeant. Aliud.

 si no-

ſi nobis animo eſſet propoſitum, verba in hac tam iuſtiſſima re nunquam nobis eſſent defutura. Quis enim non videt quantus dicendi campus aperiretur ei qui de iudicii proceſſu quem Præſul nobiſcum inſtituit verba facere cuperet? In carcerem coniecti ſunt innocentes Iuuenes, & in ipſo temporis puncto nemine audito, aut ad defendendum ſe admiſſo, ad horrendum ac igno miniosum ſupplicium condemnati: in quo quanta ſit iniquitas vix verbis poteſt exprimi: quis hanc Pręſulis & Epiſcopi iniudicando non reprehendet vehementiam? quis non ius gentium quod cuilibet ſine diſcrimine defenſionem permittit, & indicta cauſa quem condemnari vetat: ab eo turpiter violatum affirmet? quis non ex acerbo erga inclytam nationem noſtram odio ita pronunciatum exiſtimet? nam aliter ſi affectus fuiſſet, hoc procul dubio cogitaſſet: Iuuenes iſtos nobili eſſe loco natos, ex honeſtis & clariſſimis Parentibus qui prudentia ſua atque virtute illuſtriſſimis imperii electoribus ab intimis eſſent conſiliis (quod etiam indicatum ei fuit) eſſe itē exteros eoſdem & ob id maiore humanitate com plectendos, non nimis temere aut ſeuere quod ab Epiſcopi eſt alienum perſona, cum iis procedendum, non tantum fidei viliſſimis hominibus Ciuitatis cuſtodibus habendum, vt illorum cauſa ab eo quod iuriſgentium, quod conſuetudinis apud omnes homines vellet recedere. hoc ipſum iniuſtum eſſe, legibus diuinis & humanis aduerſum quilibet vir bonus fatebitur. Attrocitatem vero Præſulis ſententiæ auget & illud,

quod dum inaudita causa absq; vllo iudicii processu iniustam tulit sententiam, quosdam etiam ex captiuorum numero, qui ne quidem ei tumultui interfuerunt, ad idem supplicii genus condẽnare non dubitarit: idque ex errore quodam siquidem nimia ira præceps, tempus sibi sumere haud potuit, vt qui inter fuissent cognosceret: Sicq; eodem modo tractu chordæ puniri voluit, nationis nostræ Procuratorem quod hunc fuisse suspicabatur qui Italum vulnerarat. Diligentissime namque & hic inter captiuos ac alibi quęsitus eandem ignominiam sustinuisset: nisi singulari præpotentis Dei beneficio & amicorum quorundam vigilantia in locum tutissimum fuisset abductus. hunc errorem altero die post excitatum tumultum vigilum præfectus in præsentia multorũ germanorum fassus est: & Præsul & Auditor criminalis uix persuaderi potuerunt alium quam Procuratorem qui Italum offenderat extitisse: Sicut & hi re melius cognita postea sunt confessi, multi vt nobis ex Ciuibus Bononiensibus Viri nobilissimi retulerunt. Hanc vero in iudicando præcipitantiam, persona iudicis indignã existimamus, quem non ira ac odio ita æstuare decebat, ita animi motibus obrui, ut in iudicando id ei accidat, quod omnes Iudices considerati cauere solent, ne se hac uoce tueri cogantur NON PVTARAM: quæ nunquam prudentes est habita oratio. Rectius & moderatius egisset ad breue tempus sententiam si distulisset, non eodem horæ puncto, si quid deliquissent ad suppliciuni rapi permisisset: præsertim

cum

cum sciret eos non homines sordidos, aut uilissimarum operarum ministros, sed Scholasticos esse, peregrinos, claris Parentibus ortos: ita ut re bene deliberata & culpa pœnes quos esset cognita iudicandum fuisset: neque enim metus ullus adfuit quasi aufugere possent cum carcere firmissimo eos teneret conclusos: horum cum nihil quæ ad legitimum iudicium spectant in nobis cõdemnandis fuerit seruatũ, quid aliud cogitare possumus quamdiu ipsum acerbum erga nostram nationem aluisse odium: & iam cum leuissima ei in nostros seuiendi fuerit oblata occasio, eam nullo pacto negligendam duxerit. Sicque absque cunctatione supplicio nos afficere uoluisse ne si innocentia nostrorum & iniuria uigilum detecta fuisset, Præsul non ita cum aliquo iusti iudicii prætextu, diu collectam in nos effundere bilẽ posset. aliud ut cogitemus haud facere possumus: dum hora eadem qua in carcerem nostri detrusi sunt etiam ad supplicium ducti fuère. Hic nunc iterum obtestamur, monemus, obsecramus omnes vbicunque locorum homines, qui iustitiam amant, iniustitiam odio prosequuntur, expendant rem ipsam, nihil affectibus indulgeant, iudicent, sit ne hoc boni Episcopi & iusti Iudicis officium? ita contra æquitatem naturalem, contra rationem iudiciorum, contra omnia scripta & non scripta iura, tanta asperitate vti aduersus innocentes, peregrinos, tam uili astimare aut contemnere ordinem nostrum Scholasticum, qui in magno honore omni tempore à summis mundi monarchis est habitus, cui multæ à Ro-

manorum imperatoribus & summis Pontificibus prærogatiuæ præ cæteris hominibus sunt concessæ, quo maior apud alios huius nostri ordinis esset dignitas. QVIS ENIM NON MISEREATVR INQVIT FRIDERICVS IMPERATOR NOSTER EORVM QVI AMORE SCIENTIAE EXVLES FACTI, DE DIVITIBVS PAVPERES, SEMETIPSOS EXINANIVNT, VITAM SVAM MVLTIS PERICVLIS EXPONVNT, ET A VILISSIMIS HOMINIBVS, QVOD GRAVITER FERENDVM EST, CORPORALES INIVRIAS SINE CAVSA PERFERVNT, & quæ alia in eadem constitutione priuilegia Scholarium illustria recitantur, summum quæ Imperatoris erga ordinem nostrum fauorem declarant, agnoscit enim summus mundi monarcha ex numero nostro Scholastico prouenire illos qui doctrina ac prudentia sua imperia, regna, ac Respublicas regunt atque gubernant, fatetur eosdem literarum studio hoc est virtutis amore multa subire pericula, multa tollerare incommoda, magnos facere sumptus, patriā dulcissimam, parentes, amicos & quicquid præterea domi charū atq; iucundum relinquere. ideoque illos dignos maiestatis suæ dilectione, dignos omni fauore, dignos quorum misereatur, & quorum patrocinium aduersus iniurias uilissimorum hominum, qui literas earumque cultores odio habent, suscipiatur,

&

& id quidem meritò agit, consideret modo quis Scholarium conditionem paulo diligentius, eorum imprimis qui ex remotissimis nationum alienarum locis sunt oriundi, deprehendet facilè quantis periculis, quam multorum fraudibus, blanditiis, astutiis, dolis ac technis sint expositi. At hic noster Præsul nihil horum in Scholaribus agnoscit, licet & ipse huius ordinis quasi Antistes dici ac videri velit: cuius enim hic misertus est ex nostris? quorum preces lachrymis mixtæ ad misericordiam ipsum commouere potuerunt? ut parceret nobilibus Iuuenibus Principum eorum & parentum clarissimorum causa, cum tot illustres ac nobiles Viri, ex amplissimo Bononiēsi Senatu pro iis deprecarentur: cum ipse supremus Scholarium magistratus, Magnificus ac generosus Iuristarum Rector precibus & intercessione sua animum iratum Præsulis flectere conatus est nihilq; obtinuit: tantus fuit ardor in Præsule, tam ingens cupiditas de Germanis summendi supplicium, & animum nimia ira ob ingens odium feruentem, horum ignominia satiandi. Ornarunt item multis splendidissimis priuilegiis nationem nostram Germanicā summi olim Pontifices & Imperatores, & inter eos Clemens VII. Carolus V. Romanorum Imperator: eadem priuilegia ab horum successoribus continuato ordine, & recenter à Papa Pio IIII. sunt confirmata, aliaq; de nouo ex singulari erga nationem nostrā clementia superaddita (vt priuilegiorum exemplaria infra posita testantur) vbi inter cætera Procuratores nostros durante illorum officio in summo

mo dignitatis gradu esse voluerunt: vt & Comites Palatii Lateranensis dicerentur horum priuilegiis gauderent, quem quidem honorem non minimum hic esse omnes norunt. At Præsul Bononiensis alio illos more honorare cogitat: dum alterum nationis nostræ Procuratorem, virum nobilem, nihil meritum chordæ tractu punire statuit, nisi fuisset à nostris abductus vt hoc ipso nationem nostram eiusq; magistratus apud vulgus magis contemptibiles redderet. hac nimirum sua iniquitate, non nobis tantum insignem fecit iniuriam, verumetiam summorum Pontificum ac Romanorum Imperatorum maiestatem grauiter læsit, dum priuilegia ac diplomata eorum quę merito sancta ac inuiolabilia apud omnes esse debebant, superbè cõtemnere, & pro rebus nullius momenti eadem habere nihil fuerit veritus. Hæc ergo nostra sunt priuilegia, tanti hic æstimantur, hæc summorum Pontificum authoritas, hæc Imperatornm maiestas, hic honor nostri ordinis; hæc humanitas erga Scholares, erga homines exteros, & quidem Germania oriundos: ob quæ meritò Scholastici Germani & aliarum nationum, hoc potissimum Præsule Rempublicam gubernante Bononiam se conferre debebant: eadem vt humanitate qua nostri tractarentur: Cuius quidem voti facilè fierent compotes, si per tempus aliquod hic commorarentur: experiatur modo cui sic visum fuerit. nunquam ex Scholasticis quisquam id ignominiosum supplicii genus sustinuit, id quod vno ore omnes in hac Ciuitate fatentur: à nobis vero Germanis,

quos propter modestiam magno se complecti fa uore antea sæpius Præsul dixerat, huius facere crudelitatis initium placuit. Sed vt initium à nobis factum, ita finem iniquè in eosdem seuien di futurum, certò speramus. neque ullo modo commitemus, ut reliqui Scholares Bononienses quorum uirtutem, singularem humanitatem ac mansuetudinem, tempore quo fuimus coniuncti sæpius summus experti, & nunc seiunctionem nostram ab ijs animo ferimus iniquissimo: vt isti Commilitones nostri nobilissimi de nobis conqueri possint, quasi contra ordinis nostri Priuilegia, hanc nobis factam ignominiā supina quadā ac detestādā patiētia dissimulare vellemus: Sicq; eadem illis quæ nobis aliquando fieri posset vis & iniuria. tale eorum graue de nobis iuditium quo nos inconstantiæ ac leuitatis meritò accusarent, cauebimus quantum possumus: & cum exteri hic simus, & ob id Præsulis potentiæ non valeamus nos opponere, ne attrociora nobis sint mala expectanda: vindictam aliam Deo iusto relinquemus iudici, & contenti nuuc erimus libera hac querimonia, apud inuictissimum ac Augustissimum Imperatorem nostrum, & alios illustrissimos Imperii Principes, ad quos hoc scriptum perferri curabimus, qui dubio procul hanc nobis factam iniuriam, eo quo solent subditorum suorum calamitatem ferent animo. Quare cum priuilegia nostra sint violata, cum iustitia denegata, cum insontes ignominia affecti. exemplum aliis qui eandem hic fortunam expectare cogerentur, relinquemus: Atque quod fælix ac

ac faustum sit nobis nostrisque posteris, ex hac vrbe cum priuilegiis à summis Pontificibus ac Romanorum Imperatoribus nationi nostræ indultis, cum fisco ac reliquis ad eum pertinentibus, in alia loca vbi ius æqualiter cum aliis nobis reddatur, migrabimus: idq; ita tamen faciemus, vt clarissimorum Præceptorum nostrorum, à quibus innumerabilia beneficia accepimus, illustriũ ac nobilissimorum ciuium Bononiensium, qui nos nostrosq; maiores multis annis summo cum fauore sunt prosecuti, & reliquorum nostri ordinis, virtutem, fidem, integritatem, mausuetudinem, & beneuolentiam erga nationem nostram quocunque locorum quemlibet ex nostris fortuna esse voluerit, grato pectore iucundaque memoria perpetuò simus celebraturi.

Exemplar priuilegii CAROLI V. Imperatoris, concessi Nationi nostræ inclytæ & confirmati ac aucti à summis Romanorum Pontificibus: & recenter etiam à Papa Pio IIII. vt ex subiecto diplomatæ satis constat.

CAROLVS Quintus, Diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Castellæ, Legionis, Arragoniæ, Vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallitiæ, Maioricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Insularum Cannariæ & Indiarum ac Terræ firmæ, Maris Oceani, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotaringiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lymburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Callabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Virtembergæ &c. Comes Flandriæ, Habspurgi, Tirolis, Barchmonæ, Archois, & Burgundiæ, Comes Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ceritaniæ, & Zutphaniæ, Lantgrauius Alsatiæ, Marchio Burgoniæ Oristani Gotzani, & Sacri Romani Imperii Princeps Sueuiæ Cathalaniæ, Asturiæ, Dominus Phrisiæ, Marchiæ Sclauonicæ, Portus Naonis, Biscayæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechliniæ, &c.

NOtum facimus tenore præsentium vniuersis, Tametsi omnes & singulos Sacri Romani Imperii subditos & fideles gratia & beneuolentia prosequi consueuerimus, Illos tamen præcipue singulari munificentia & liberalitate fauoribusq; specialibus afficere debemus, Quorum studium, ac disciplina, & Imperii ornamento, & communi Reipub. commodo destinatur, Vt nostro munere gaudentes otio & quiete speratos de ipsis fructus commodius præstare possint, Hinc est quod cum Maiestati nostræ Procuratores & Scholastici legumque professores Nationis Germanicæ, humili debitaque instantia supplicarint Quatenus ipsorum Collegium & Statuta Scholarium Iuris Germanicæ Nationis Bononiæ, confirmare, & sequentes articulos innouare, roborare ac de nouo concedere, videlicet quod ii qui præsunt potestatē & auctoritatem Iusdicendi inter eos, qui in illo Collegio continentur habeant, Et quod externus, aliiq; si quem è Collegio conuenire vellet ei necesse esset coram Magistratibus Collegii experiri, Etiam quod Rector aut Sindicus cessante Collegii Germanici magistratu eam Iurisdictionem ad se transferre non posset, Deinde vt illi de Collegio nul

D lieæ

li ex vniuersitate, siue Rectorl vel Sindico præterquam suis Magistratibus sacramento obstringerentur, & quod Magistratus quos procuratores vocāt,proximū post Rectores Vniuersitatis & Epos, Principes Prothonotariosq; Apostolicos,locū tum in publicis tum in priuatis actionibus teneant quemadmodum hæc omnia olim in vsu habuerunt, & vetustate, tempotisq; diuturnitate, fuerunt corroborata, Necnon ipsum Collegium in nostri & Imperii Sacri pro tectionem & saluiguardiam recipere, præterea Procuratores illius Palatinatus priuilegio ornare, ipsisque Arma ferendi sicuti Vniuersitatis, Rector habet ius & facultalem concedere & elargiri gratiosius dignaremur, Nos igitur huiusmodi supplicationi benignius annuentes attendentes etiā quod talia Statuta iustissimis ex causis sunt nata & vt ampliori nostra munificentia laudabilium Studiorū profectus opportune iuuetur, motu proprio, ex certa scientia, deliberate, & cosulto, auctoritate nostra Romana Cesarea præfatum Collegium Scholarium Iuris Germanicæ Nationis Bononiæ approbantes omnia & singula eorum supra narrata statuta & priuilegia quæ longe retroactis annis laudabili c ..uetudine obseruata fuère, Et tandem per successum vetustatemque temporum, cum insuper bellorum, tum ciuilium discordiarum causa, deperdita consumptaque extiterant, Ratificamus, Innouamus confirmàmus & de nouo concedimus, & insuper singulari nostra benignitatis gratia præfatum Collegium Germanicæ Nationis ac Procuratores & Scholasticos, vna cum eorum bonis ac rebus Bononiæ existentibus in specialem nostram & Imperii Sacri protectionem, tuitionem & saluiguardiam recepimus & assumpsimus tenoreque præsentium assumimus & recipimus gratiosius atque præfatos Collegii Germanici Procuratores pro tempore existentes, scilicet quo in officio sunt vt ad munus suum procurationemque libentius obeundam insigniori ornamento alliciantur, motuproprio ex certa scientia, sano consilio & imperialis plenitudine potestatis, Sacri Lateranensis Palatii, aulæque nostræ & Imperialis Consistorii Comites fecimus, creauimus, ereximus, nobilitauimus,extulimus,& tenore præsentinm facimus, creamus, erigimus, nobilitamus, & gratiose insignimus,Decernentes & hoc Imperiali statuentes edicto, vt ipsi in antea, quo tempore in prædicto officio fuerint omnibus priuilegiis iuribus immunitatibus honoribus consuetudinibus & libertatibus frui debeant & gaudere,quibus Lateranensis Palatii Comites hactenus fruiti sunt, seu quo modocunque potiuntur consuetudine vel de iure. Qu'q; possint & valeant facere & creare Notarios, seu Tabelliones, & Indices

ces

ces ordinarios,ac vniuersis personis,quæ dignæ, habiles & idoneæ sunt, Notariatus seu Tabellionatus & iudicatus ordinarii officium concedere & dare, & eos hac eorũ quęlibet auctoritate Imperiali de prædictis per pennam & calamarium pro vt moris est inuestire, Dum tamen ad praticam & executionem habiles & Idoneos inuenerint, super quo eorum conscientias oneramus, dummodo tamen ab ipsis notariis publicis seu tabellionibus & iudicibus ordinariis ab ipsis faciendis,& creandis, ut permittitur & eorũ quolibet vice & nomine nostro ac Sacri Imperii & pro ipso debitũ fidelitatis recipiant corporale & proprium iuramentum in hunc qui sequitur modum, videlicet quod erunt nobis & Sacro Romano imperio & omnibus successoribus nostris, Romanorũ Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus fideles, nec vnquam erunt in consilio vbi nostrum periculum tractetur, sed bonum & salutem nostram defendent & fideliter promouebunt, damna nostra pro sua possibilitate auertent, præterea instrumenta tam publica quam priuata, vltimas voluntates, quecunque iudiciorum acta, & omnia alia & singula quæ illis,& cuilibet ipsorum ex debito dictorum officiorum fienda occurent, vel scribenda, iustè, pure, fideliter, omni simulatione, falsitate, machinatione & dolo remotis, scribent, legent, & facient non attendendo, odium, pecuniam, munera vel fauores, aut alias passiones, scripturas vero quas debebunt in pub: formã redigere, in membranis mundis non cartis abrasis neque papiriis fideliter conscribent facient atque dictabunt Causas Hospitalium & miserbilium personarum, necnon pontes & stratas publicas pro viribus promouebunt, sententiasque & dicta testium donec publicata fuerint & approbata fideliter retinebunt & omnia alia & singula recte & iuste facient quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt consuetudine vel de iure, quodq; huiusmodi Notarii publici, seu Tabelliones & iudices ordinarii per ipsos creandi & faciendi possint per totum Romanum Imperium, & vbilibet terrarum facere, scribere & publicare, contractus, instrumenta, vltimas voluntates, decreta, & auctoritates, interponere in quibuscunque contractibus requirentibus illa vel illas, ac omnia alia facere, exercere & publicare: quæ ad dictum officium publici notarii seu tabellionis & iudicis ordinarii pertinere & spectare noscuntur. Insuper eadem auctoritate ex certa scientia, motuque simili eisdem procuratoribus concedimus & elargimur, quod possint & valeant legitimare naturales, bastardos, spurios, Manseres, nothos, incestuosos copulatiue vel disiuntiue, aut ex quocunque illicito & damnato coitu procreatos siue procreandos, viuentibus vel mortuis eorum parenti-

 bus

bus, Illustrium tamen Principum Comitum Baronumq; filiis duntaxat exceptis, & eos ad omnia iura legittima restituere & reducere omnemq; geniturae maculam & quemlibet alium defectum penitus abolere, ipsos restituendo ad omnia, & singula iura successionum, & hereditatum bonorum paternorum & maternorum, feudalium & emphiteuticorum etiam ab intestato cognatorum & agnatorum honores & dignitates & ad quoscunque alios actus legitimos ac si essent de legitimo matrimonio, vt supra dictum est, nati, dummodo legitimationes huiusmodi per eos, vt praemittitur fiendae non praeiudicent filiis legitimis & heredibus, non obstantibus in praedictis quibuscunque legibus, decretis, statutis, consuetudinibus & aliis quibuscunque incontrarium facientibus, quibus omnibus & singulis, motu proprio ex certa scientia de plenitudine nostrae potestatis in quantum huic nostro indulto contraueniant vel quouis modo contrauenire vel obstare possint, pro hac vice derogamus & derogatū esse volumus. Vlterius etiam eadem auctoritate memoratis procuratoribus Collegii Germanici concedimus & elargimur facultatem & ius ferendi Arma seu Enses tam durante eorum officio procuraturae quam cessante, donec vterque eorum in dicto studio seu Ciuitate Bononiensi extiterit, quemadmodum Vniuersitatis Rector habet, mandamus igitur omnibus & singulis nostris & Imperii Sacri fidelibus & subditis dilectis cuiuscunque status, gradus, praeeminentiae & conditionis fuerint vt supradicta omnia inuiolabiliter obseruent, & ab aliis obseruari faciant. Nulli ergo hominum liceat hanc nostrae ratificationis, confirmationis, innouationis, roboris, de nouo concessionis, Priuilegii gratiae indulti paginam infringere, vel ei quouis ausu temerario contraire, sub nostra & Imperii indignatione & poena Quinquaginta Marcharum auri puri totiens quotiens contrafactum fuerit. Quarum medietatem Imperiali nostro fisco seu aerario, reliquam vero partem iniuriam passi siue passorum vsibus decernimus applicandam, harū testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum Bononiae die Vigesima quinta Mensis Februarii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Trigesimo, Imperii Decimo, ac aliorum Regnorum nostrorum Decimo quinto.

DIPLOMA SVMMI PONTIFICIS PII IIII.

SACRI Apostolatus ministerio meritis licet imparibus diuina dispositione præsidentes ad ea libenter intendimus per quæ literarum studia, vtpote communi Reipublicæ commodo destinata, per quæ preciosum acquiritur sapientię donum; vndiq; floreant & augeantur, & quæ eis & eorum Collegiis ac Scholaribus proinde concessa dicuntur, vt illibata persistant, & salutarem pertingant & consequantur effectum; libenter cum à nobis petitur apostolico munimine roboramus & alias desuper disponimus, prout rerum, temporum personarum & Nationum qualitatibus pensatis conspicimus in domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Gasparis Vdalrici Comitis de Reinstein, & Domini in temporalibus de Blanckemburg, Necnon Caroli à schuendi Procuratorum Collegii Scholarium nationis Germanicæ in vtroque iure Bononiæ studentium nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod licet aliàs postquam pro parte tunc Procuratorum Collegii Scholarium huiusmodi claræ memoriæ Carolo Quinto olim Romañ. Imperatori semper Augusto tunc in humanis agenti supplicato, quatenus sua Maiestas dictum Collegium & illius statuta confirmare dignaretur. Idem Carolus Imperator volens Romani Imperii subditos & fideles gratia & beneuolentia prosequi, & illos præcipuè, quorum studium, & disciplina eidem Romano Imperio ornamento & communi Reipublicæ cômodo destinabantur, singulari munificentia & liberalitate fauoribusq; specialibus prosequi, ac laudabiles studentium profectus iuuare, huiusmodi supplicationibus inclinatus auctoritate sua Cæsarea approbando & confirmando dictum Collegium, antiqua illius statuta & priuilegia, quæ longè retroactis annis fuerant laudabili consuetudine obseruata, quamuis postea vetustate temporum consumpta, insuper & bellorum & discordiarum ciuilium causa vel aliàs deperdita inter alia continentia. Quod ii, qui præerant potestatem & auctoritatem ius dicendi inter ipsius Collegii Scholares seu personas haberent. Externi autem aliiuè siquem Scholarium huiusmodi conuenire voluissent, illum coram magistratibus ipsius Collegii, quos Procuratores dicunt, in ius vocare seu cum eo experiri deberent. Ita quod Rector aut syndicus Vniuersitatis, studii Bononiensis cessante Collegii Germanici huiusmodi magi-

ſtratu iuriſdictioné in ipſos de dicto Collegio ad ſe transferre non poſſet, deinde vt ipſi de dicto Collegio Germanico nulli ex dicta vniuerſitate etiam illius Rectori, vel ſyndico huiuſmodi, prærerquam eorum magiſtratui huiuſmodi ſacramento obſtringerentur. Quodq; magiſtratus ſeu Procuratores Collegii huiuſmodi proximum poſt Rectores dictæ Vniuerſitatis, necnon Epiſcopos Principes, Prothonotariosq; apoſtolicos locum tam in publicis quam in priuatis actibus tenerent, quemadmodum hæc omnia antea in vſu habuerant, eademq; vetuſtate, ac temporum diuturnitate roborata fuerant, ratificauerit, innouauerit, & de nouo conceſſerit. Et inſuper ſingulari benignitatis gratia ſua eoſdem Collegium & Procuratores ac Scholares vnà cum eorum bonis & rebus Bononiæ exiſtentibus in ſpecialem ſuam & eiuſdem Imperii protectionem, tuitionem, & ſaluiguardiam receperit & aſſumpſerit. Necnon præfatos procuratores pro tempore exiſtentes ſcilicet tandiu quamdiu in huiuſmodi officio exiſterent, vt ad munus ſuum Procurationemque libentius obeundam inſigniori, ornamento allicerentur: Motu proprio & ex certa ſua ſcientia & imperialis plenitudine poteſtatis Sacri Lateranenſis Palatii aulæque ſuæ Cæſareæ & Imperialis conſiſtorii Comites fecerit, creauerit, nobilitauerit, & erexerit, decreueritque, & Imperiali ſtatuerit edicto, vt ipſi ab illa hora inantea, quamdiu in dicto officio eſſent, omnibus priuilegiis, iuribus immunitatibus, honoribus, conſuetudinibus & libertatibus, quibus Lateranenſis Palatii Comites eatenus potiti fuerant, ſeu quomodolibet potiebantur de conſuetudine vel de iure vti, potiri, & frui poſſent. Ita quod ad eorum inſtar Notarios ſeu tabelliones & Iudices ordinarios creare & facere, ac vniuerſis perſonis, quæ dignæ, habiles, & idoneæ eſſent, Notariatus ſeu tabellionatus & iudicatus ordinarii officia concedere & dare, eosq; & eorum quemlibet auctoritate Imperiali de prædictis per pennam & calamare. Recepto tamen ab eis debito fidelitatis in ſimili bus præſtari ſolito iuramento (prout moris eſt) inueſtire, dumtamen eos ad praticam & executionem habiles & idoneos inuenirent, ſuper quo eorum conſcientias onerauit. Necnon Naturales baſtardos, ſpurios, nothos inceſtuoſos copulatiuè vel diſiunctiuè ex quocunque illicito & dannato coitu procreatos ſeu procreandos, viuentibus vel mortuis eorum parentibus, illuſtrium tamen Principum, Comitum, Baronumque filiis duntaxat exceptis, legitimare, eosque ad omnia iura legitima reſtituere & reducere, omnemque genituræ maculam & quemlibet alium defectum penitus abolere, ipſosque ad omnia & ſingula iura ſucceſsionum &

hæ-

hæreditatum, bonorumque paternorum & maternorum, feudalium & emphiteoticorum, etiam ab intestato cognatorum & agnatorum honores & dignitates, & ad quoscunque alios actus legitimos, acsi essent de legitimo matrimonio procreati restituere, dummodo legitimationes huiusmodi per eos, vt pr̨emittitur, fiendæ filiis legitimis & hæredibus non præiudicarent, libere & licitè valerent. Et insuper præfatis Procuratoribus dicti Collegii Germanici deferendi arma seu enses tam durante eorum officio procuratorio quàm cessante donec ipsi vel alter eorum in dicto studio seu Ciuitate Bononiensi degeret ad Rectoris dictæ Vniuersitatis instar licentiam & facultatem respectiue concesserit & elargitus fuerit. Et postmodum fœlicis recordationis, Clemens VII. & deinde Paulus tertius, necnon Iulius tertius Romanorum Pontifices prædecessores nostri præmissa omnia & singula præfatis Collegio & illius Procuratoribus ac Scholaribus apostolica autoritate sub certis modo & forma confirmauerint seu confirmari concesserint, prout in singulis tam prædictorum apostolicis forsan, quàm Caroli Imperatoris prædictorum imperialibus desuper confectis literis seu supplicationibus eisdem prædecessoribus porrectis, signatis plenius continetur. Et quamplures dictæ Nationis Scholares dulcedine gaudendi priuilegiis huiusmodi allecti ad Ciuitatem prædictam indies confluant, illaque ex hoc reddatur illustrior, & non modicum sentiat commodum. Necnon Scholares ipsi quotiescunque Rector dictæ Vniuersitatis consilium conuocat seu Senatum habet in eo sponte & voluntariè non minori fide & diligentia, quàm illi, qui ad hoc iuramento, necessitate adiguntur, tanquam membra præfatæ Ciuitatis compareant, suaque munera & officia libenter & fideliter obeant, & in possessione pacifica vel quasi horum præmissorum omnium fuerint & sint de præsenti. Attamen vt illa eò firmiorem obtineant roboris firmitatem, quò apostolicæ sedis patrocinio sæpius fuerint communita, Gaspar & Carolus Procuratores Collegii Nationis huiusmodi certa spe ducti, quod nos non minoribus quàm fecerint Carolus quintus Imperator, ac Clemens & Paulus, necnon Iulius prædecessores præfati. Verum eorum vestigiis inhærendo amplioribus nostris & eiusdem sed s eos, ac Collegium & illius Scholares huiusmodi amplexuri simus muneribus gratiarum desiderant, pro potioris cautelæ suffragio, & vt firmius obseruentur, ea omnia ipsis & eorum successoribus, etiam per nos approbari. Nos qui huiusmodi literarum studia & Scholarium Collegia nostris potissimum temporibus vbique inualescere sincero desideramus affectu, præfatos Gasparem & Carolum

rolum & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum ad præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes & absolutos fore censentes; ac singularum literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes eorundem Gasparis & Calori Procuratorum supplicationibus & piis desideriis in hac parte inclinati, approbationem, confirmationem, ratificationem, innouationem nouam concessionem, creationem, nobilitationem, decretum, statutum, facultatem, & elargitionem Caroli Imperatoris, necnon alias cõfirmationes cõcessiones Clementis, Pauli, & Iulii prædecessorũ húiusmodi, & singulas illorũ literas prædictas, ac prout illas concernunt præmissa & alia omnia in eis ac etiam dictis supplicationibus contenta & inde secuta quacunque Apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium ex certa scientia approbamus & confirmamus, illisque perpetuè & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes & singulos tam iuris quam facti defectus siqui forsan interuenerint in eisdem supplemus & illa omnia ualere necnon ualida & efficacia existere, suosque plenarios effectus integrè sortiri & inuiolabiliter obseruari debere. Ipsosque nunc & pro tempore existẽtes procuratores illis omnibus liberè uti & gaudere & desuper ullo unquã tẽpore à quoquã molestari, perturbari, aut inquietari non posse neq; debere decernimus. Et pro potiori cautela, Collegiũ Scholariũ Germanicę nationis huiusmodi, quatenus opus sit de nouo, auctoritate & scientia similibus perpetuò erigimus. Et sub eiusdem nostra & successorum nostrorũ Romanorũ Pontificum & Beati Petri & Sedis prædictæ protectione suscipimus; & eidem sedi immediatè subiicimus ac nunc & pro tempore existentes procuratores præfatos Sacri Palatii Comites etiam cum potestate dicta auctoritate apostolica similiter quascunque personas, quæ sufficientis literaturæ, ac in practica sufficientes & idoneæ fuerint Notarios publicos & tabelliones ac Iudices ordinarios. Recepto prius ab eis debitæ fidelitatis & aliàs in forma solito iuramento creandi, faciendi, & constituendi, ac de Notariatus, tabellionatus, & iudicatus ordinarii officiis supradictis per pennam & calamare aliàs, vt moris est, inuestiendi cum facultatibus solitis. Et insuper sine præiudicio venientium ab intestato naturales, bastardos, spurios, nothos, incestuosos, & alios supradictos, vt præfertur, procreatos & procreandos viuentibus vel mortuis eorum parentibus ac filiis legitimis & naturalibus, ac alijs ab intestato

ſtato ſuccedere debentibus extantibus vel non extantibus ad id Citatis vel non Citatis aliàs, vt præfertur, legitimandi, reſtituendi, reducendi, ac maculam & defectum prædictos ab eis tollendi & abolendi ac eos ad iura, ſucceſsiones, hæreditates, dignitates & officia ſecularia, publica, priuata, ac alia præmiſſa vt præfertur, reſtituendi de nouo facimus, creamus & nobilitamus, aliaque omnia & ſingula præmiſſa prout ſuprà, eis innouams, ac de nouo modo & forma præmiſsis concedimus. Quodque pro ſalubri directione, gubernio & manutentione Collegii Nationis prædictæ tam illius Procuratoribus quàm Scholaribus nunc & pro tempore exiſtentibus, quæcunque ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones & decreta ſacris cannonibus non contrariantia condendi ac edendi. Illaque poſtmodum ſeu iam condita & edita mutandi, alterandi, reformandi, & ſi videbitur annulandi & alia faciendi & cõnſtituendi. Quæ poſtquam condita, edita, mutata, alterata, reformata, annullata & conſtituta fuerint. Cum omnium iuris & facti defectuum, ſi quos tunc interuenire contingat in eiſdem ſuppletione prædicta auctoritate apoſtolica eo ipſo confirmata & approbata ac roborata, validaque & efficacia ſint, & eſſe cenſeantur, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & ab omnibus, quos illa concernunt & concernere poterunt quomodolibet in futurum inuiolabiliter obſeruari debeant. Decernentes ita per quoſcunque Iudices quauis auctoritate fungentes ſublata eis quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari & diffiniri debere, irritum quoq; & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquã quauis auctoritate ſciẽter vel ignoranter contigerit attentari. Et inſuper eiſdem modernis & pro tempore exiſtentibus procuratoribus vnũ quem è Scholaribus dicti Collegii pauperem eſſe, & nihilominus præuiis lucubrationibns ſtudio vtriuſque vel alterius iuris operam diligenter nauaſſe, adeo vt ad Doctoratus vel licentiaturæ gradum in vtroq; vel altero iurium huiuſmodi aſſequendũ ſe reddiderit idoneum ſciuerint, vt ex amara literarum radice dulces aliquos recolligat fructus, & ne vnde ſumptus & expenſas, quos in dicta vniuerſitate graduandos neceſſariò ibidem ſubire oportet non habens condigno fruſtretur honore, pro tempore Collegio Doctoribus & aliis Collegialibus prædictæ Vniuerſitatis, qui illum ſolito more præcedente examine præuio idoneum & ſufficientem repertum, ad in vtroque vel altero iurium huiuſmodi, in quibus ſeu quo tunc ſtuduerit Doctoratus vel licentiaturæ gradum abſque aliqua impenſa ac regalium ſeu iurium propterea debitorum & quomodolibet ſolui ſeu etiam donari conſuetorum ſolutione, & aliàs gratis vbique

D pro-

promouere & doctorem seu licentiatum facere, creare, constituere, & ordinare, sibique doctoratus seu licentiaturæ consueta insignia cum solitis facultatibus concedere teneantur & debeant doctorandum vel licentiandum, & ad præmissa omnia admittendum, præsentandi & nominandi, omniaque & singula alia in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi & exercendi, quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna plenam licentiam & liberam facultatem & auctoritatem concedimus & indulgemus. Mandantes dilectis filiis modernis & pro tẽpore existentibus prædictæ Ciuitatis Bononiensis legato sub excõmunicationis aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac quingentorũ ducatorũ auri pœnis totiens, quotiens prẹmissa nõ obseruauerint, adimpleuerint & executi fuerint, siue adimplere & exequi distulerint vel eis nõ paruerint, per nõ obseruantes adimplentes & exequentes, seu differentes vel non parentes incurrendis pro vna Cameræ Apostolicæ, & altera medietatibus pecuniariæ pœnæ huiusmodi præfato Collegio irremissibiliter persoluendis Vicelegato, Gubernatori, ac prædictæ Vniuersitatis Rectori, Syndico, Doctoribus & aliis Collegialibus, & aliis ad quos spectat & spectabit quomodolibet in futurum. Quatenus dictis procuratoribus & Scholaribus nunc & pro tempore existentibus efficacis defensionis præsidio assistentes, præmissa omnia & singula inuiolabiliter obseruent & ab omnibus etiam sub censuris & pœnis prædictis obseruari. Ac pauperem promouendum pro tempore præsentatum siue nominatum huiusmodi absque regalium aliorum ue iurium solutione huiusmodi, & aliàs gratis sic vt præmittitur graduari siue doctorari aut licentiari faciant. Non permittentes tam Procuratores & Scholares quam graduandum seu præsentatum aut nominatum huiusmodi, aut eorum aliquem super præmissis, aut eorum aliquo per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, inquietari vel perturbari inuocato etiam ad hoc si opus sit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, & quibusuis Apostolicis ac prouincialibus & synodalibus constitutionibus & ordinationibus, ac quacunque litis Pendentia seu molestia super præmissis vel eorum aliqua forsan hactenus orta & pendente indecisa. Necnon Ciuitatis & Vniuersitatis prædictæ statutis & consuetudinibus etiam municipalibus etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis & literis Apostolicis illis ac Legato, Vicelegato, Gubernatori, Rectori, Syndico, Doctoribus & aliis præfatis sub quibuscunque verborum formis & tenoribus ac cum quibus-